



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrugensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Synodus Osnabrugensis, ejusdem Episcopi octava, celebrata I Octobris
MDCLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

D I O E C E S A N A
S Y N O D V S
O S N A B R V G E N S I S
O C T A V A,

P R Æ S I D E N T E

Reverendissimo & Illustrissimo Principe
ac Domino,

D. F R A N C I S C O
G V I L I E L M O,

EPISCOPO ECCLESIAE OSNABRUGENSIS,
NEC NON RATISBONENSIS,
MINDENSIS AC VERDENSIS,

Comite de Wartenberg & Schawmburg, Domino in Wald
& Hachenburg,

C E L E B R A T A

Anno M D C L I I, die I Octobris, quæ erat Feria tertia post
Dominicam XIX Pentecostes,

ipso Dedicationis Cathedralis Ecclesie Osnbrugensis Festo.

O R D O E T C Æ R I M O N I Æ
S Y N O D I.



Vm ordinaria autumnalis Diœcesana Synodus Osnbrugensis hoc anno M D C L I I incidit in diem octavam sequentis mensis Octobris; Illustrissimus verò & Reverendissimus Dominus Episcopus Osnbrugensis eam, prægnantissimis de causis, pro hac vice anticipandam, & primo die Octobris habendam decreverit: hinc mandavit omnibus & singulis Decanis iuramentis, ut non solum ipsi pridie tempestivè Osnbrugi compareant, verum etiam omnes & singulos Pa-

rochos, vel alios etiam, provisoriè curam animarum in suo Decanatu habentes, moneant, ut ex mandato Illustrissimæ Suxæ Celsitudinis omnes & singuli ad dictam Synodum specialiter se sistant, & præterquam ægritudine suâ vel suorum, quam in scripto testari tenebuntur, detenti, non emaneant. Insuperque demandatum fuit, ut tam ipsi, quam Decani, tempestivè ac diligenter prospiciant ordinemque, ut, in absentia ob dictam Synodum, per alios vicinos, seu etiam advocandos, approbatos Sacerdotes seu Religiosos, tempore huius Synodi, curæ animarum, obtingentibus insperatis casibus, dignè satis fieri possit.

Ipso die Synodali, quoniam, ob incidens Dedicatio-

tionis

tionis Cathedralis Ecclesie Osnabrugensis festum, omni solemniori ritu ad maiorem divini Numinis honorem id peragere Illustrissima Suae Celsitudini placuit. Ante altare parochiale extra Chorum, specialiter ad id exornatum, Sacrum de Dedicatione cum Collecta de Spiritu sancto per alteram illam Illustrissimam Suae Celsitudinem decantatum fuit. Prope dictum altare Parochiale, theatrum oblongum exstructum erat; in huius latere dextero Cathedralis Ecclesie Canonici, in latere vero sinistro Dominus Abbas Iburgensis, Dominus Vicarius in spiritualibus Monasteriensis, Ioannes Vagedes, (qui in hac Synodo interesset, specialiter illic venerat,) nec non Capitulum insignis Collegiate Ecclesie S. Ioannis Osnaburgi, in scamnis, rubro panno obductis, confidebant; & Clerus reliquus per navim Ecclesie bono ordine distributus considebat.

Finita concione & Sacro Parochiali quod hora sexta matutina inceptum fuit, Illustriss. Suae Celsitudo, (qua ob nimiam pluviam ex Residencia a Clero more solito commode adduci non poterat,) in theatra, Anticis suis stipata vehebatur ad Ecclesiam Divi Pauli; mox accedebant Canonici Cathedralis Ecclesie; & interea reliqui de Clero, bini & bini, ex loco prope Sacristiam procedebant, Chorum circummeando ad navim Ecclesie; hos subsequutum fuit Capitulum, ac deinde Illustrissima Suae Celsitudo. Qua dum Ecclesiam ingressa fuit, ceremonialia omnia, ut in Synodo vernali quinta peracta fuerunt.

Illustrissimus, Ecclesiam ingressus, mox in throno suo, cum Hora diurne minores ad Sextam usque inclusive decantatae essent, Nonam inchoavit. qua finita, sollemnis per ambitum & Ecclesiam processio, (pluvia longiorem circuitum impediente,) cum deportatione praecipuarum Reliquiarum Civitatis Osnabrugensis, hoc ordine instituta fuit.

Primo praecedebant vexilla cum Crucibus; ac deinde Clerus eo ordine ac modo, ut in Synodo Osnabrugensi quinta.

Post Capitulum Cathedrale, deferebatur, per duos Vicarios sancti Ioannis in Dalmaticis rubris, tumba argentea cum Reliquiis corporis unius Martyris ex legione Thebaeorum. Sequebatur secunda tumba, portata per duos Vicarios Cathedralis Ecclesie, similiter sacris paramentis paratos; cui inclusa erant aliquot integra Capita SS. Virginum ac Martyrum ex societate sanctae Vrsulae.

Tertiam tumbam succollabant duo alumni Se-

minarii Osnabrugensis in Dalmaticis, cum corpore sanctae Cordulae Virginis & Martyris ex societate sanctae Vrsulae. Quarta tumba cum corpore sancti Hermagora, Patriarchae Aquileiensis ac Martyris, portata fuit similiter per duos Vicarios, ut priores, Dalmaticis rubris indutos. Quinta magna tumba deinde deferebatur cum integris corporibus sanctarum Reginae ac Iuliane, item trium aliarum Virginum ac Martyrum ex societate sanctae Vrsulae innominatarum; cui humeros supponebant octo ex P.P. Dominicani Ordinis Praedicatorum, Dalmaticis induti. Sextam, cum corpore sancti Adolphi Episcopi & Confessoris Osnabrugensis vigesimi octavi, humeris gestabant duo Parochi in vestibus sacris. Septimam, qua corpus sancti Pirmerii Episcopi & Martyris ex societate sanctae Vrsulae continebat, portarunt duo Vicarii Cathedralis Ecclesie. Octavum locum tenebat tumba, S. Candidi Martyris corpus continens, ex societate Thebaeorum, portata per duos Canonicos sancti Ioannis; in cuius Ecclesia cum veneratione hucusque asservatum fuit. Nona tumba sequebatur cum corpore S. Crispini Martyris ac Patroni Diocesis, quam circumferebant Diaconus & Subdiaconus Missae. Decima tumba, cum corpore sancti Crispini Martyris, similiter Patroni Diocesis, ultimo loco per duos Canonicos Cathedralis Ecclesie, pluvialibus indutos, deportata fuit. Singulas tumbas praecedebant Ephebi Illustrissimi cum facibus. Ultimo loco sequebatur Illustrissimus, indutus Pontificalibus, cum ministris assistentibus; ac deinde frequens populus, qui huic processioni devotionis causa intererat. Vi primum Clerus cum praefatis Sanctorum Reliquiis Ecclesiam ingressus fuit, habita est statio sollemnis in navim Ecclesie, & cantatae Antiphonae de Dedicatione; quibus Illustrissima Suae Celsitudo, decantato per Diaconum & Subdiaconum Versiculo, subiunxit Collectam, & Clerus Responsorium; ac interea tumba in altari suis locis repositae sunt per Clericos, ad id constitutos. Post haec Illustrissima Suae Celsitudo thronum ascendit, induit se paramentis Missalibus, Sacrum incepit, & alia acta fuere, ut supra.

Synodus haec Diocesana tribus Sessionibus absoluta fuit; atque tam in prima quam in secunda Sessione, & qualibet vice, Illustrissima Suae Celsitudo ad Clerum per horam dixit, de zelo erga Deum & res divinas ac proximum, praesertim in Ecclesiasticis personis & Sacerdotibus, accendendo.

SESSIO SECVNDA.

Hora secunda pomeridiana, die eodem, secunda Vesperae de Dedicatione Ecclesie in Choro decantatae fuerunt. medio tertiae, campana maiori, ad Synodum signum datum fuit. Hora tertia pomeridiana, praevia campanarum compulsatione solenni, Illustrissimus processit ad

Ecclesiam Cathedralem. post cuius ingressum in Ecclesiam, ceremonialia Synodi consueta, donec ad locum Capitularem perventum esset, observata fuerunt. In loco Capitulari denique Illustrissima Suae Celsitudo, per horam, ad Clerum, priorem mano inceptae concionis suae materiam continuando, dixit. Sub ipsa concione, Illustrissima Suae Celsitudo,

Be ad Cru-

ad Crucifixum in altari positum conversa, coram eodem, & toto Clero, pluribus ac efficacibus verbis protestata fuit, quod Episcopale munus suum per tot jam annos omnibus modis adimplere studuerit, ac proinde in conscientias singulorum, toties respectively admonitorum, correctorum & punitorum,

reiciat, easdemque oneret, si, quæ, pro sua & subditorum singulis commissorum salute, agenda fuerunt ac posthac erunt, non præstent.

Sermone finito, Secretarius Synodi resumpsit lectionem Decretorum Synodaliū.

S E Q V V N T V R D E C R E T A S Y N O D A L I A.

DECRETVM I.

Cum, per operosè completam tandem Visitationem generalem Diocesis Nostræ Osnabrugensis, cognoverimus, varia, hæcenus salubriter publicata & intimata, tam Synodalia quam Visitationis Decreta non observari; pro Pastoralis officii sollicitudine, necessarium duximus, quædam, uti fundamenta reliquorum, in hac Synodo repetere, ac denuo inculcare, seu de novo promulgare; ut sequitur.

DECRETVM II.

Tanta est quorundam negligentia, & inexcusabilis socordia & inobedientia, ut ne quidem Constitutiones, hæcenus legitime publicatas & receptas, apud se habeant, sed nec illas, aliæque ipsis intimata Decreta, legant, aut, interrogati de eis, rationem reddere possint. Vnde serio mandamus & præcipimus, ut quilibet librum Synodalem, Agendam, Missale, Proprium Sanctorum hujus Episcopatus, item Catechismum, ac librum Cationalem vulgaris idiomatis, jam jam typis evulgandum, nec non Decreta Nostra Visitationis propria, penes se quisque habeat, retineat, legat & revolvat, sed & accuratè observet, & observari respectively faciat, ut suo tempore, interrogatus de iis, rationem reddere possit.

DECRETVM III.

Festa, processiones, jejunia, abstinentiæ, juxta sanctæ Matris Ecclesiæ, nec non Calendarii & Directorii Osnabrugensis dispositionem, diversis in locis non ritè observantur, aut omnino negliguntur. Quare, jure merito, longos viarum anfractus, in processibus de nocte fieri solitos, cum omnibus commessationibus, in processibus etiam nonnullis, usitatis, abolitos volumus; ac, ut vigor Apostolicarum & Diocesanarum Constitutionum accuratè observetur, demandamus. in quo Pastores suum officium singuli præstabunt.

DECRETVM IV.

Licentiæ, die festo laborandi, inconsideratè sine gravi causâ non concedantur. Processiones tamen, hæcenus tribus feriis sextis post Trinitatis fieri consuetæ, in posterum tribus Dominicis fiant, in omnibus Pærochiis.

DECRETVM V.

Reperiuntur non pauci, qui contra Decreta, antehac publicata, malunt cum famulatio alienæ religionis, quàm suæ, convivere; nonnunquam cum suspitione pravâ laicorum. Itaque inculcatur serio, ut quilibet Ecclesiasticus ab hujusmodi consortio se abstineat.

DECRETVM VI.

Ambitiosa quorundam avaritia, multa sibi coarcevat beneficia Ecclesiastica, unde execrabiles hac in parte jure communi statutas pœnas reponimus; monemusque omnes & singulos qui diversâ beneficia possident, ut vel dispensationem, intra mensis spaciū, Nobis aut Nostrò Officiali exhibeant, causasque dispensandi probent, vel beneficia sua resignent, aut se privandos esse sciant.

DECRETVM VII.

Solliciti etiam sumus de animabus, Nobis concreditis, uti thesauro inter acatholicos hic abscondito. Itaque necessarium est, ut accuratius, quam hæcenus factum fuit, nomina Communicantium in Paschate singulis annis, uti & conversorum singulis trimestribus, Nobis vel Officiali Nostrò exhibeant; & licet nullus ad Religionem orthodoxam accesserit, nihilominus id præstent; & ita de sollicitudine doceant Pastoralis officii.

DECRETVM VIII.

Qvandoquidem Seminarium Clericorum huic Diocesi ante omnia necessarium, juxta sacrosancti Concilii Tridentini Decreta ac monita, serio desideramus ab omnibus, ut, secundum anteriores Constitutiones, huic sacro instituto aliquid in ultima voluntate legent, aut aliàs contribuant.

D E

DECRETVM IX.

I Nutilis aut immoderatus tabaci usus, plures etiam Ecclesiasticos hactenus corripit, imo vero plerumque cum vitio ebrietatis conjunctus est, vix etiam à scandalo abest. Merito itaque, ut supervacaneum, periculosum & scandalosum, in Clericis vituperamus, ac ante Sacrum absolutè inhibemus, nisi fortè, Medicorum consilio, moderatus usus permittatur.

DECRETVM X.

P Ia & fidelis antiquitas non permittebat Clericis, de bonis suis, ab Ecclesia plerumque acquisitis, disponere, donec, indulgente paulatim observantià, aliud fieri coeptum est. Veruntamen, cum testandi licentià opus fuerit, eum in locum constitutiones executoris, testamentorumque approbationes & executiones introductæ sunt. Quare, uti moribus receptum est, nemo Clericorum testamentum condat, executoresve constituat, nisi de Officiali Nostri licentià & approbatione, in scriptis, sub sigillo Illustrissimi, obtenta; cui etiam, finita administratione, intra annum, rationes reddant, & se absolvi procurent. Nolumus tamen per hoc præjudicare Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Nostre, cui approbationes de consuetudine competunt. Executores tamen intra annum coram Officiali Nostro doceant, se debite administrationis absolutionem à Capitulo obtinuisse.

DECRETVM XI.

M Agna reperitur passim Cleri licentia, aut, quod pejus est, protervia, ut Prælati suis haud obediunt, sed nec illos reverentur, aut debitum eis honorem & obedientiam exhibeant. Nemo itaque sit qui imposterum, vel in minimo, Prælati suis aut Superioribus quibuscunque sine ratione ac modo contradicat, aut se opponat; sub pœna juris, hac in parte expressa; cum in eo vigor Ecclesiæ consistat.

DECRETVM XII.

S I quis in posterum Clericorum deprehendatur, concubinam suam recepisse, aut novam superinduxisse, ipso facto, sine ulla gratiâ, beneficii & dignitate sua privatus sit.

DECRETVM XIII.

N On serio satis agitur cura domus Dei; & à paucis admodum Clericis bonæ conversationis exemplum hucusque datum fuit. Quanto igitur hic inter acatholicos periculofiori & magis præcipiti sunt gradu,

tanto magis in vitâ & moribus, & in omni conversatione, se præbeant virtutum omnium exemplar; uti status, & prima eorum à majoribus facta institutio, toties ab acatholicis exprobrata, exposcit.

DECRETVM XIV.

C Irca sacrum Chrisma afferendum die Iovis sancto non mediocrem notavimus defectum. Itaque Pastores territorii hujus mittant viros probos, die Iovis sancto, satis tempestive ante prandium, qui id statim accipiant, & ad suas Parochias deferant. Accipient autem in Sacello, in ambitu Cathedralis Ecclesiæ, à Sacerdote, à Nobis ad hoc deputato. Extra territorium Nostrium, in partibus Embslandiæ, Decani, Primarius & Secundarius Embslandiæ, Cloppenburgerensis & Vechtenensis, mittant vascula trina, satis magna, ut pro toto Decanatu sufficiant, & ita quidem, ut, si per annum uno alterove in loco defuerint, ipsi de novo suppeditare possint. Proinde singuli Pastores, die Veneris sancto, mittant ad ipsos sua vascula implenda. Curabunt autem dicti Decani, ut per se vel suos Capellanos aut alios Presbyteros hanc distributionem peragant.

DECRETVM XV.

C Vm vacet Decanatus Furstenauensis per obitum piæ memoriæ Ioannis Ioannis, Pastoris Batbergenfis; in novum ibidem designamus Decanum, Reverendum Patrem Nicolaum Schaten, Societatis Iesu, Pastorem Batbergensem.

DECRETVM XVI.

Q Vandoquidem jam ante à Nobis designati fuerunt, in Iudices causarum Apostolicarum, Dominus Ioannes à Leeradt, Cathedralis Ecclesiæ Nostre Osnabrugensis Præpositus; Dominus Ioannes Wilhelmus à Winckelhausen, ejusdem Ecclesiæ Decanus; Dominus Ioannes à Bischopinck, Curie Nostre Episcopalis Osnabrugensis Officialis, & Canonicus ad sanctum Ioannem; Dominus Rabanus Heisterman, Collegiæ Ecclesiæ ad sanctum Ioannem Decanus; Dominus Bernardus Matthiæ à Campo, SS. Theologiæ Doctor; eosdem, pro hac vice, denuo confirmamus.

DECRETVM XVII.

I N Censorem librorum, etiam antehac designatum & approbatum, D. Ewaldum Marckium, SS. Theologiæ Licentiatum, denuo approbamus & confirmamus.

DECRETVM XVIII.

IN Pœnitentiarium Episcopalem publicum, in Nostra Cathedrali Osnabrugensi

Ecclesia antehac constitutum, Reverendum Patrem Ludovicum Krabbe, in Monasterio Ordinis Prædicatorum Osnaburgi Priorem, denuo constituimus & approbamus.

S E S S I O T E R T I A.

Altera die Synodi, Dominus Abbas Osnaburgensis decantavit Sacrum de Communi plurimorum Martyrum, quorum Reliquiæ in hac Civitate & Diœcesi requiescunt. Sacro finito, Illustrissima Sua Celsitudo, una cum Capellanis suis, Cathedralis Ecclesiæ Canonicis sibi assistentibus, induit se sacris paramentis. Quibus indutus, processit ad Synodalia, modo & ordine in prioribus Synodis consueto.

Horâ undecimâ matutinâ, cum Sessio Synodalis tertia in loco Capitulari optatum finem adepta fuisset, compulsatis campanis, Clerus, ex loco Capitulari cœmeterium circummeundo, ad Ecclesiam processit. Varii, durante hac processione, Psalmi decantati fuerunt. Illustrissimus, Ecclesiam ingressus, ad Altare perrexit; & cum jam hymnus, Te Deum laudamus, pro gratiarum actione & felici Synodi successu decantandus fuisset, Illustrissima Sua Celsitudo consedit in faldistorio ante medium Altaris, facie ad populum versa, & Concionem Germanicam, per horam cum dimidiâ, Clero præsentem, ad Osnaburgensium subditos suos habuit, eandemque, cum sancto Paulo, sic exersa est: Volo in Ecclesia quinque ver-

1 Cor.
14. v. 19.

ba sensu meo loqui. In primo verbo seu puncto causam dedit, cur tantus Clerus Catholicus esset hic congregatus; demonstravitque, ab anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio, continua serie, tales Synodos ab Episcopis hujus Diœcesis in hoc loco celebratas. In secundo; quid in Synodis, tam œcumenicis & generalibus, quam Episcopilibus singularium Diœcesium, agatur. In verbo tertio; quænam vocatio, quodve munus Episcopi, uti Pastoris animarum, & quod vice verâ officium ovium, quæ vocem Pastoris sui sequi debeant. In quarto; vix quidem sese omnium subditorum suorum ad verum Ecclesiæ Catholicæ ovile reductionem tam cito sperare posse, quandoquidem indies à veritatis via magis per novitates declinent ipsorum Doctores & verbi ministri: idque in octo punctis seu Articulis fidei demonstravit; nimirum, 1. in numero Sacramentorum. 2. in usu Eucharistiæ. 3. in Purgatorio. 4. in invocatione Sanctorum. 5. in sacrificio Missæ. 6. in venerabilis Sacramenti veneratione. 7. dum docent, Eucharistiam non in verbis consecrationis, sed sumptione, consistere. 8. in bonis operibus; idque ex ipsius

Martini Lutheri operibus scriptis, modernæ Ministrorum Augustinæ Confessionis doctrinæ è diametro contrariis, manifestè ostendit. In quinto denique verbo, universo populo valedixit; & hujus valedictionis materiam desumpfit ex Actis Apostolorum; ubi à Mileto Paulus, Ephesum mittens, *Cap. 20.* vocavit majores natu Ecclesiæ, &c. quem textum explicavit, sibi que, & nonnulla populo, ob instans iter Ratisbonam, quò à sacrâ Cæsareâ Majestæte ad Comitiam generalia Imperii evocata erat, applicuit; ipsosque adhortata fuit, ut, cum in hac Civitate Osnabrugensi habeant Legem & Prophetas quos audire sufficienter possint, & vigore Capitulationis in hac Diœcesi, ipsis etiam liberum sit, Ecclesiis & scholas Catholicas adire, adeoque interrogare & informari possint, quò sciant in fide reprobare malum & eligere bonum; proinde salutis suæ ipsi consulant; alioquin se, uti animarum Pastorem, coram Deo excusatam fore: & licet nunc corpore hic discedat, spiritu tamen, uti Episcopum & Pastorem, apud illos, veluti oves suas, & Principem apud subditos suos, ad extremum usque vitæ diem permanfuram; idque pro valedictionis memoriâ se ipsis relinquere ac donare; ipsos interim tamen etiam obligatos esse, pro valedictione vicissim Illustrissimæ Suæ Celsitudini aliquid offerre; verum, oblatu dignum, aut debitum, nihil aliud esse, quam ut omnem subjectionem, veluti subditi, & bonam voluntatem ad salutem animarum suarum, tanquam oves vocem Pastoris audientes, Illustrissimæ Suæ Celsitudini offerant; quod ipsum omnino ab ipsis speret, & effectum præstolari velit.

Finis hoc sermone, qui omnibus etiam acatholicæ religionis gratus fuit, plurimosque ad lachrymas commovit; Illustrissima Sua Celsitudo incepit Hymnum, Te Deum laudamus, quo decantato, reliqua Synodi Cærimonialia subjuncta fuerunt; omnesque ac singuli ad osculum pacis, etiam Religiosi quicumque, ab Illustrissimâ Suâ Celsitudine pro hac vice, magnâ cum charitate, per brevi singulis datâ monitione, (verbi gratiâ, Attende tibi, attende gregi, vigila, ministerium tuum adimple, emenda te, Deum time, &c. pro singulorum qualitate,) sub ipso pacis osculo & complexu, admissi fuerunt.

Lectum deinde Decretum dimissionis Synodi, ac Indictionis proximæ, die decimâ octavâ Martii

Martii M D C L I I I habenda. Ipsaque Synodus, cum benedictione solemnī, ac publicatis quadraginta dierum Indulgentiis, dimissa fuit.

Et quia ego Ioannes Brogberen, I. V. L. & Collegiatæ Ecclesiæ Sanctorum Ioannis Baptistæ & Euangelistæ Ratisbonæ Canonicus, & Pastor in Rimschloe, à supramemorato Reverendissimo & Illustrissimo Domino Præfule in Actuarium hujus sacræ Synodi deputatus fui, Decretorum Synodaliū promulgationi, reliquisque in ea pertractatis in-

terfui; idcirco eisdem Decretis, in fidem eorundem, propria manu subscripsi. Acta sunt hæc, anno à partu virgineo M D C L I I; Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Innocentii, divinâ providentiâ Papæ Decimi, nono; diebus, mensē & loco, quibus supra; præsentibus Venerabilibus ac Eruditis Dominis, Antonio Sollinger & Nicolao Schenberg, Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Vicariis, ac respectivè Sacristano & Notario publico, testibus, ad hoc specialiter requisiti, & fide dignis.

IOANNES BROGBEREN I. V. L. Capellanus Major Illustrissimi Osnabrugensis, Pastor in Rimschloe, & Actuarius causarum Ecclesiasticarum, ad hoc specialiter deputatus, subscripsit.

A D D E N D A
AD CATALOGVM CLERI,
quæ hæctenus omīssa reperiuntur.

Widenbrugi,
Quackenbrugi,
Vechtæ,

} Patres S. Francisci, stri-
} ctioris observantiæ.

Osnabrugī, Monasterium Virginum Ordinis
S. Claræ.
Hafelunæ; Moniales S. Claræ.
Parochia S. Annæ, in districtu Gronenber-
genſi.

